



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio II. Vtrùm Deus sit summè & infinitè perfectus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quaest. II. An Deus sit infinite perfectus. 183

rum Aegidij neganda est sequela: nam licet ex natura rei non sit distinctio inter Deum: & esse ipsius, tamen respectu nostri intellectus concipi-entis deum ut subiectum, & esse ut formam ipsius, est distinctio sufficiens subiecti, & praedicati propositionis non identica, quae fat est, ut id, quod demonstratur, non dicatur idem prorsus cum eo, de quo demonstratur; Quamvis autem apud Philosophos non sit frequens usus demon-strandi substantiam aliquam, esse tamen de sub-stantiis separatis interdum id demonstrant.

Nec vero satisfacit solutio Aegid. eamque be-ne impugnatur Heraeus in 1. d. 3. q. 1. §. ista opi-nio, in fine, non enim intentio Philosophi lib. 8. Physic. aut 11. Metaphys. est declarare, quid no-minis Deus, sed ostendere esse substantiam ali-quam immaterialem, primam, aeternam, & increa-tam; neque, ut iam alibi ostendi, verum est, posi-ta illa explicatione nominis Deus, statim ex ter-minis sciri ipsum esse, solutio quoque Abulensis, & Argentin. non satisfacit: nam Philosophus ex creaturis, ac motu procedit ad agnitionem Dei: in quo discursu prius peruenitur ad notitiam vnius motoris immobilis, & vnius causae primae, quam ad agnitionem Dei sub hoc nomine, & conceptu; etenim motui formalis ac propinquius respon-det ratio primi motoris, & effectibus ratio pri-mae causae, quam ratio Dei sub hoc nomine & conceptu: & ita ex discursu per creaturas prius cognoscitur Deus sub ratione primae causae, & primi motoris, quam sub ratione deitatis: & ideo demonstratione à posteriori Aristoteles demon-strat Deum esse, quia est primus motor & causa prima, nec absque probatione supponit Deum esse: imo 12. Metaph. text. 3. & 36. ex eo quod sit aliquid motum non mouens, & aliud mouens, perpetuo motum, concludit esse primum moto-rem immobilem: quem deinde ait debere esse aeternum, substantiam & actum, quae omnia à po-steriori colligit ex motu.

QVÆSTIO II.

Utrum Deus sit summe, & infinite perfectus

CONCLUSIO: Deus summus & infinite perfectus est. Probatum primo Authori-tate Philosophorum, qui hanc verita-tem tradiderunt, quorum primus sit Aristoteles lib. 9. Ethicorum, cap. 4. ibi: [Deum habere summum bonum, quod non est aliud à Deo distinctum, sed sibi ipse summum bonum est.] & lib. 12. Metaphysicæ infinitum pelagus omnium perfectionum appellat; ac tandem lib. 2. magnorum moralium, ait: [absurdum est ut se quidquam melius habeat Deus] cuius vestigiis insistent Seneca, in praefatione librorum quaestionum natura-lium, hac verba profert: [quid est Deus? mens vniuersi. Quid est Deus? quod vides totum, & quod non vides totum; sic demum magnitudo sua illi redditur, quam nihil maius excogitari potest;] nec minus eleganter Cicero lib. 1. de na-tura Deorum, hunc scopum recta collimat his verbis, [ea est Dei vita qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari potest.]

Hanc etiam veritatem sapientissimi Doctores Ecclesiae, quorum agmen primus ducat Angusti-nus libro 1. de moribus Ecclesiae catholicae, cap. 1. ibi:

[ubi ad diuinas peruenitum est avertit, se se in-tueri non potest, palpat, aestuat, inhiat amore; reuerberatur luce veritatis, ad familiaritatem tenebrarum suarum non electione, sed defatiga-tione conuertitur. Ergo refugere ad tenebrosa in-cipientibus per dispensationem ineffabilis sa-pientiae nobis illa opacitas, autoritatis occur-rat; & mirabilibus rerum vocibusque librorum veluti signis temporariis veritatis umbrisque blandiatur, utpote, qui solo lumine naturali in-tellectus, & propria industria, atque discursu quid infinitarum perfectionum viuus, & liqui-dissimus fons & immensum mare, ac interminum pelagus Deus sit assequi non possumus eius ma-gisterio ex parte saltem addiscamus;] vnde ipse Cherubicus Doctor lib. 5. de Trinitate, cap. 1. [In-telligamus ait] Deum si possumus quantum possu-mus quisquis Deum ita cogitat, & si nondum po-terest omnino inuenire quid sit, pie tamen cauet quantum potest aliquid de eo sentire quod non sit; & sanctus Anselmus de incarnatione Verbi, c. 1. sic loquitur, [quia est summum, bonum hoc enim est, quod sic praestat aliis ut nec par habeat nec praestantius] & in prologo, cap. 15. [ergo inquit] Domine es quiddam maius quam cogitari possit.] & S. Bernard. libro 5. de consideratione ad Euge-nium, [quid est inquit] Deus quo nihil melius cogitari potest denique Damascenus lib. 1. fidei, c. 4. dixit [Deum esse supra omnia quae sunt, atque adeo supra ipsum esse] item Dionys. de diuinis no-minibus, cap. 1. fere initio, de Dei natura agens, [ignorationis inquit] summæ eius essentiae, ac naturae, quae omnem orationem, sensum, essentiam-que vincit, scientiam ei tribuere debemus, [S. Na-zian. oratione 45. post med. certe inquit] hoc est Deus, quod cum dicitur, non potest dici cum æsti-matur, non potest estimari, cum definitur ipsa de-finitione, crescit quem omnia nesciunt, & me-tuendo sciunt, [Origen. lib. 1. perierc. cap. 2. [quid inquit] in omnibus intellectualibus tam praestans omnibus, tam inestimabiliter atque ineffabiliter praecellens est quam Deus;] S. Chrysostomo in id Psalm. 47. [magnus Dominus, & laudabilis nimis, magnus inquit] dicunt, sed quam magnus non dicunt; hoc enim nemo scit, & ideo subiunxit, & laudabilis valde, non enim est finis eius magni-tudinis. Quod autem dicit, est ei smodi, oportet cum tanta gloria afficere, & laudare id quod supra om-nem modum] Theodoretus Episcopus Ancyrae co-mo 6 Concilij Ephesini, cap. 10. [Diuina inquit] natura humanae mentis caput effigit sublimior, est quam, quae nostro attingi queat.

Tertio manifestissime hanc veritatem scriptura ipsa aperte demonstrat, Ecclesiastici enim 43. sic dicitur glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, superualebit enim adhuc, & admirabi-lis magnificentia eius benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis; maior enim est omni laude exaltantes eum replemini virtute nec laboretis; non enim comprehendetis quis videbit eum, & enarrabit; & quis magnificabit eum sicut est ab initio; multa abscondita sunt maior his: pauca enim vidimus opertum eius, omnia autem Dominus fecit, & pie agentibus dedit sapientiam.] Docet Ecclesiasticus omnino esse supra captum, & vires nostras magnitudinem, & laudem eius; nihilque proinde gloriosum dici, aut fieri po-tere, quod Deo non quadraret, imo quicquid dica ut ni-hil esse comparatione tanta gloriae, vnde Pa-phraasis Chaldaica iure optimo initium Psalmi 65. [Te decet Hymnus Deus in Sion] ita vertit [co-ram te reputatur, sicut silentium laus.]

Hoc

Hoc ipsum significat ipse Deus *Exod. 33.* cum se appellat omne bonum dicens Moysi [Ego ostendam tibi omne bonum;] quo loco ad hoc propositum vitur Dñus Thomas 1. *contra Gentes*, capite 48. vnde Gregorius Nyssenus in libro de hominis opificio, cap. 16. sic ait: [Dei natura perfecta quadam copia est bonorum omnium:] & Sanctus Dionysius cap. 5. de divinis nominibus, idem docet his verbis [si quid quomodocunque est id in eo, qui antecedit scilicet in Deo, & est, & intelligitur, & conferuatur.] Nec minus illustre testimonium est illud Psalmi 49: [Pulchritudo agri mecum est,] quasi dicat quidquid perfectionis, & pulchritudinis in agro & in ceteris rebus clucet, in me perfectiori, & eminentiori modo vndeque refulget, qua propter Sanctus August. enarratione in prædictum Psalmum hæc verba profert. [Cum illo, id est cum Deo est totum cum illo ager, cum illo species cæli, cum illo species terræ, cum illo omnia volatilia, quia ipse vbique, & quare apud ipsum omnia? quia antequam essent omnia aut crearentur, ei nota erant omnia; imo in ipso vita erat quidquid factum est;] iuxta illud Ioannis prima, quod factum in ipso vita erat, licet enim hæc Evangelistæ verba diuersas interpretationes subeat illa non minus genuina videtur, omnia quæ facta sunt contineri in Deo, quia Deus est fons inexhaustus, omnium infinitus perfectionum; vnde Augustinus in hac amoris plenissima verba diuinæ charitatis igne flagrans, & successus prorumpbat, [nihil est Deus corū, quæ sub sensu veniunt, nihil terrestre humidum, flabile, igneum; non lux, non sonus, non odor, non dulcedo, non aliquid demum quod sub tactum cadat. Rursum Deus est quadam lux, omnem cuiuscunque lucis claritatem superans, quam contra tollere se mortales oculi non subsistent.]

Quare eius nota, sol, non solum quia Deus vnus vt sol, quia bonus vt sol, verum etiam quia lucidus vt sol: quamquam luce longe alia, & inaccessible; & quod sol est inter res creatas atque sensibiles, pulcherrimus videlicet, hoc Deus inter naturas intelligentes, multoque excellentius. Est vox quadam, quæ humanis auribus non insonat, est odor omnium vnguentorum, & aromatum odore fragrantior, dulcedo omni dulcedine dulcior, & amplexus quidam, & osculum quouis amplexu oculoque desiderabilis; at illo odore non imbuuntur nares: illam dulcedinem, non experitur gustatus: illum complexum non excipit corpus; millies mille partibus rebus quas architectatus est omnibus, quiddam nobilissimum est Deus, eoque nihil potest animo concipi vilo modo præclatius: bonum videlicet, & pulchrum, à quo, & in quo bona, & pulchra quæcunque tandem. Nullius est aut erit tanta iustitia, tanta clementia, tanta omni genere virtus potentia, sapientia: quid multa? nihil eximium inuenietur vquam, quod non sit centies millies in Deo magis eximium: cuius potentissimo imperio natura tota obtemperat, cuius nutu cælestium globorum amplitudo incitatissima conuersione ab ortu ad occasum assiduo fertur, sidera peragunt cursus suos, sol creat diem, luna præcider nocti, conficit annum quadripartita temporum varietas; vnde non mirum, quod factum sit in ipso vita, nempe creatas omnes perfectiones in Deo reperimus, & in eo sint vita, quæ in se vitam non habent; quoniam secundum esse quod habent in Deo sunt ipsemet Deus, deus autem vita est; vnde Anselmus *Monologio* 33. sic ait: [Cum summus ille spiritus dicit seipsum, id est per Verbum quod ab æterno producit, concipit

essentiam suam, dicit omnia quæ facta sunt, nam & antequam fierent, & cum iam facta sunt, & cum corrumpuntur, seu aliquomodo variantur semper in ipso sunt, non quod sunt in seipsis, sed quod est idem ipse. Etenim in se ipsis sunt essentia mutabilis, in ipso vero sunt ipsa prima essentia:] & cap. 35. ait: [creatas perfectiones tanto verius esse in verbo & in intelligentia creatoris, quam in se ipsis, quanto verius existit creatrix quam creata substantia.]

Quod exponit Dñus Thomas *quest. 4. de veritate*, art. 6. & *questione 8. art. 16. ad 11. de veritate rei*, quia verior res vtpote perfectior est esse, quod creaturæ habent in Deo quam quod habent in se ipsis, non vero quasi lapis aut Angelus verius dicantur de illo esse quod Angelus, & lapis habent in Deo, quam deesse quod habet in se ipso Angelus &c. in seipso enim formaliter, & proprie est Angelus, secundum esse vero quod habet in deo non est Angelus, nisi cum addito nimirum eminenter, formaliter est ipsemet deus; eodem modo vero docet Dñus Dionysius 5. *capite de diuinis nominibus*, ubi ait [quod sicut lineæ à centro ad circumferentiam egredientes in centro sunt vnum, & quo magis à centro distantes eo plus disjunguntur, ita creatæ omnes perfectiones, quæ à Deo prodierunt in Deo vniuntur, & sunt vnum, quo vero plus ab eo recedunt multiplicatione quorundam ex aliis eo plus extenuantur, ac diuiduntur quoad esse;] vnde Paulus *ad Romanos* 11. ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia. Sed neque hic locus probat nisi mediante aliqua illatione, nam particula *in*, habitudinem causæ dicit, dicuntur enim omnia esse in Deo, quia ab ipso pendunt, ipsumque respiciunt, vt conferuatorem suum, vel in ipsum, vt in finem tendunt, sicut *ad Colossenses primo*, [In ipso condita sunt vniuersa, & omnia in ipso constant.] *Et Act. 17.* [in ipso viuimus, mouemur, & sumus.]

Quia tamen non potest Deus omnia continere sua potentia, nisi in suo esse aliquomodo omnem perfectionem præhabeat, ideo ex illa particula *in ipso*, hic etiam sensus confirmari potest, sic enim argumentatur Dauid *Psalm. 33.* Qui plantauit autem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat? vnde etiam est illud *Psalm. 49.* Pulchritudo agri mecum est; & alia infra afferemus tractantes de scientia Dei, & de eius infinitate quod idem probat illud *Matt. 19. & Luc. 18.* Nemo bonus, nisi solus Deus. Item hac de causâ dicitur in Scriptura Deum non habere similem, *Isai. 44.* Quis similis mei? & cap. 46. cui assimilatis me? & adæquatis me, & fecistis similem, *Psalm. 34.* Domine quis similis tibi? Hæc etiam ratione sapientie in Scriptura vocatur Deus, Altissimus, & hæc autem singularis excellentia Dei consistit in hoc quod ipse solus habet, quod sit bonus per essentiam, vt docet Dñus Thomas *dist. 1. art. 3.* Quod explicat distinguendo in creaturis tres gradus perfectionis entitatis superaddita per accidentia, & consummata per consequentiam vltimi finis, quas omnes habet Deus per essentiam suam, & non aliqua creatura; vnde Nyssenus *orat. catechetica*, cap. 1. à med. tanquam omnibus exploratum supponit, [Deum esse perfectum, cui nihil desit nec commixtus sit ex iis, quæ sunt contraria, nempe ex eo quod est manens, & ex eo quod est perfectum, sed siue in potestate siue in boni notione, siue in sapientia, & æternitate, & incorruptione, & si aliqua alia, quæ Deum decet intelligentia veniat in contemplationem omnino assentietur in diuina natura considerati perfectionem ex hac consequentia]

consequentia rationi consentanea]: & ideo Aristoteles lib. 12. *Metaphysica*, cap. 9. textu 5. probat Deum esse sui ipsius intellectionem, quoniam hoc requiritur vt sit ens optimum summe perfectum, & praeclens omnibus.

6 Quod vt significaret Diuus Dionysius de *diuinis nominibus*: cap. 5. ibi: [deus non quodammodo est, sed absolute, & libere sine vilo termino vniuerso illo quod est esse in se comprehenso, & occupato,] vbi omnem perfectionem sine termino in se comprehendere deum docet vt sit summe, & infinite perfectus; quapropter Nazianzenus, *Orat.* 42. *quasi.* 2. in *Pascha*, deum quem *oratione* 38. vocauerat pelagus essentiae immensum, & interminatum abissum infinitarum perfectionum vocat.

7 Clarius autem omnibus hoc significauit diuus Thomas 1. *parte*, *quasi.* 4. *art.* 2. vbi data opera probat deum infinite esse perfectum his verbis, a 8. *Sed contra*: *asque ad finem corporis ariculi*, ibi: *Sed contra* est quod dicit Dionysius 5. *cap. de diuinis nominibus*, quod Deus in vna existentia omnia prae habet, respondeo dicendum quod in deo sunt perfectiones omnium rerum; vnde & dicitur vniuersaliter perfectus: quia non deest ei aliqua nobilitas, quae inueniatur in aliquo genere, vt dicit *comment.* in 5. *Metaph.* & hoc quidem ex duobus considerari potest.

8 Primo quidem per hoc, quod quicquid perfectionis est in effectu, oportet inueniri in causa effectiua: vel secundum eandem rationem, si sit agens vniuersum, vt homo generat hominem vel eminentiori modo, si sit agens equiuocum: sicut in sole est similitudo eorum, quae generantur per virtutem Solis. Manifestum est enim quod effectus praexistit virtuti in causa agente, praexistere autem in virtute causa agentis non est praexistere imperfectiori modo, sed perfectiori, licet praexistere in potentia causa materialis sit praexistere imperfectiori modo: eo quod materia in quantum huiusmodi est imperfecta, agens vero in quantum huiusmodi est perfectum: cum ergo deus sit prima causa effectiua rerum oportet omnium rerum perfectiones praexistere in deo secundum eminentiorem modum, & hanc rationem tangit Dionys. 5. *cap. de diuin. nom.* dicens de deo, quod non quidem hoc est, hoc autem non est, sed omnia est vt omnium causa.

9 Secundo vero ex hoc, quod supra ostensum est, quod deus est ipsum esse per se subsistens, ex quo oportet, quod totam perfectionem essendi in se contineat. Manifestum est enim, quod si aliquid calidum non habeat totam perfectionem calidi, hoc ideo est, quia calor non participatur secundum perfectam rationem: sed si calor esset per se subsistens, non posset ei aliquid deesse de virtute caloris: vnde cum deus sit ipsum esse subsistens, nihil de perfectione essendi potest ei deesse. Omnium autem perfectiones pertinent ad perfectionem essendi: secundum hoc enim aliqua perfecta sunt, quod aliquomodo esse habent: vnde sequitur quod nullius rei perfectio deo deest, & hanc etiam rationem Dionys. 5. *cap. de diuin. nom.* dicens, quod Deus non quodam modo est existens, sed simpliciter, & incircumscripte totum in se ipso vniuersimiter esse praecipit: & postea subdit, quod ipse est esse subsistentibus & *art. praec.* 1. *P. Tom.* 11.

denti, qui est primus eiusdem questionis quattuor, sic ait: Respondeo dicendum, quod sicut Philosophus narrat in *duodecimo Metaphysica*, quidam antiqui Philosophi scilicet Pythagorici, & Leuippus non attribuerunt optimum, & perfectissimum primo principio, cuius ratio est, quia Philosophi antiqui considerauerunt principium materiale tantum: primum autem principium materiale imperfectissimum est. Cum enim materia in quantum huiusmodi sit in potentia, oportet quod primum principium materiale sit maxime in potentia, & ita maxime imperfectum. Deus autem ponitur primum principium non materiale sed in genere causa efficientis, & hoc oportet esse perfectissimum, sicut enim materia in quantum huiusmodi est in potentia, ita agens in quantum huiusmodi est in actu; vnde primum principium actiuum oportet maxime esse in actu, & per consequens maxime esse perfectum: Secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum secundum quod est actu. Nam perfectum dicitur cui nihil deest secundum modum suae perfectionis.

Ad primum: ergo dicendum, quod sicut dicit Gregor. balbutiendo, vt possumus, excelsa Dei, resonamus: quod enim factum, non est perfectum proprie dici non potest. Sed quia in his, quae fiunt, tum dicitur esse aliquid perfectum, cum de potentia educitur in actum, transmutatur hoc nomen perfectum ad significandum omne illud cui non deest esse in actu, siue hoc habeat per modum perfectionis siue non.]

Et in 8. *Sed contra*, probat perfectionem Dei ex loco clarissimo Scripturae, qui continetur *Matthai.* 5. ibi: [Estote perfecti sicut, & Pater vester coelestis perfectus est]; Vnde elegantissime Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 11. *in hesaiam*, inquit Sapiens dicitur nihil accidere substantiae Dei, quoniam in seipsa perfecta est; sed tamen cogimur non vniquam quasi accidentia, etiam si non omnino accidunt Deo hac dicere, & mente accidentium modo concipere sicut esse creatorem.

SUBSECTIO I.

Rationibus demonstratur conclusio.

12 Via illud est perfectum, quod est numeris omnibus absolutum, hoc est cui nihil deest ex his quae ad complementum, & integritatem propriam pertinent; sed Deo nihil deest pertinens ad suam integritatem, & complementum: ergo Deus est omnino perfectus. Maior est certa, vt docet Aristoteles 5. *met.* textu 21. & D. Thomas docuit his verbis; vnde quod est vltimo perfectum dicitur bonum simpliciter, quod autem non habet vltimam perfectionem quam debet habere, quamvis habeat aliquam perfectionem, in quantum est actu, non dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter: sed secundum quid: sic ille *prima partes* 9. 5. *art.* 2. in *solutione primis*, quod clarius docuerat, *quasi.* 4. *art.* 2. in *corpore*, ibi. Manifestum est enim quod si aliquid calidum non habeat totam perfectionem calidi, hoc ideo est quia calor non participatur secundum perfectam rationem, & ratio est manifesta, quia id cui

cui nihil deest completum est in suo esse, & e contra, cui aliquid deest incompletum est, v. g. in circulo, si aliqua pars illi desit, non est completus, sed incompletus, ac proinde dicitur non absolutus neque perfectus; si autem omnia, quæ illi debentur habeat, completus dicitur, absolutus dicitur, ultimo perfectus nominatur; unde quando ultima pars, quæ deficiebat circulo illi tribuitur, ratione cuius completur, dicimus ultimam manum illi impositam esse, ac proinde illud ad ultimam sui perfectionem peruenisse: ergo illud est ultimo perfectum, quod nulla caret sibi debita perfectione, hoc est cui nihil deest ex his quæ ad integritatem, & complementum illius requiruntur.

13 Minor in qua est tota difficultas sic demonstratur, quia Deus ut *precedente questione* demonstrauimus, adæquate & simpliciter est ens à se; sed quod est ens à se adæquate, & simpliciter nulla caret sibi debita perfectione, neque illi deest aliquid pertinens ad complementum, & integritatem illius: ergo Deus nulla caret sibi debita perfectione, neque illi deest aliquid pertinens ad complementum, & perfectionem propriam.

14 Minor illa sic probatur, quia id quod est à se adæquate, & simpliciter adæquate, & simpliciter est in actu, id est actu habet quicquid ei conuenire potest: sed id, quod actu habet omne quod ei debet conuenire, nullo modo caret aliqua sibi debita ratione, & perfectione: ergo quod est adæquate, & simpliciter à se nulla caret sibi debita perfectione, neque illi deest aliquid pertinens ad proprium complementum. Minor est manifesta, quia habere omne sibi debitum actu, & carere aliquo sibi debito est actu habere omne & actu non habere omne sibi debitum: sed actu habere omne, & actu non habere omne sunt contradictoria, ac proinde maximum omnium impossibile: ergo impossibile est quod id quod actu habet omne sibi debitum, careat aliquo actu sibi debito.

15 Maior est euident, quia id quod est à se, à se existit: ergo quod adæquate est à se, adæquate est existens: sed quod adæquate existit adæquate est actu & in actu: ergo quod adæquate est à se, adæquate est actu, & in actu habet omne suum esse, sed suum esse adæquatum est omne esse, aut omnis ratio, quæ sibi debetur: ergo quod est adæquate, & simpliciter à se habet omnem rationem actu sibi debitam, seu omne esse quod sibi debetur.

16 Maior est manifesta, quia in hoc distinguitur Deus à creatura, quod creatura non existit ex se, sed ab alio, nec habet esse à se, sed ab alio; nam secundum possibilitatem etiam creatura est à se, ut late supra tractatu de possibilitate demonstrauimus: ergo Deus non solum secundum possibilitatem, sed etiam secundum existentiam est à se, & existit à se; quare omne quod est à se, ac proinde esse habet à se, quod est synonymum existentie à se, & ex se habet existentiam, & quod à se adæquate est adæquate à se existit, id est secundum omne esse suum adæquate existit. Minor illa est manifesta, quia existentia est prima actualitas, seu primus omnium actus per quem quicquid habet illam in esse actus essendi constituitur: ergo quod adæquate existit, & adæquate habet existentiam adæquate est actu, & indæquata actualitate essendi.

Tunc sic, quicquid in actu est, & actu habet esse non potest esse impotentia ad esse, quia esse impotentia ad esse dicitur carentiam essendi, sicut esse impotentia ad videndum dicitur carentiam videndi; sed Deus quatenus secundum omne esse proprium adæquate est à se adæquate actu habet esse: ergo adæquate est actu in esse, id est omne esse, & omnem rationem propriam actu habet: ergo nulla actu caret, sed nulla actu carere est nullam sibi debitam illi deesse: ergo Deo nulla deest perfectio sibi debita pertinens ad integritatem, & complementum proprium.

Vergetur, quia si aliqua actu deesset Deo perfectio, vel illa perfectio esset à se vel non; si non est à se, non est diuina, sed creata, ac proinde non est propria Dei, quia perfectio propria Dei est, quæ est increata sicut ipse Deus, & superior omni creata perfectione, ac proinde quæ soli Deo, semper Deo conuenit, & conuenit prædicatur de illo, ut patet ex definitione propriæ: atqui perfectio creata, & ab alio non conuenit Deo, sed creaturis quibus creata perfectiones conueniunt, imo nec potest conuenire ipsi.

Deinde, quia omnis proprietas aut propria perfectio eo modo est necessaria, sicut est res cuius proprietas est, ut videre est in substantia, voluntate, & intellectu Angeli, in quibus eadem necessitas reperitur, ac in essentia Angeli, & idem est de proprietatibus animarum rationalis, & ratio manifesta est, quia cum proprietas debeat semper conuenire rei cuius proprietas est, debet esse tam necessaria sicut ipsa res, alias non semper illi conueniret, scilicet quando deficeret in esse ex eo quod contingeret non esse: sed essentia Dei est omnino necessaria necessitate à se, & increata superiori omni necessitate creaturæ: ergo propria perfectio Dei non debet esse creata, & ab alio: sed potius à se: ergo etiam si deficiat quæcunque perfectio creata, dum tamen non deficiat perfectio increata, nulla propria perfectio deficiet illi, ac proinde nihil deerit sibi proprium, ac debitum: quia illud est debitum Deo tanquam pertinens ad integritatem, & complementum ipsius, quod fuerit diuinum, & proprium esse illius.

Si autem illa perfectio sit à se, non erit in potentia ad existendum, sed potius debet actu existere, quia quicquid à se est actu habet existentiam, sed quod habet existentiam actu est: ergo illa perfectio actu est in Deo, cuius perfectio est, & cuius complementum est: ergo non deficit nec deest Deo talis perfectio; unde Deus actu habet necessario omnem diuinam, & propriam, ac increatam perfectionem: ergo nihil deest illi, quod ad propriam perfectionem, & integritatem pertinet, quia sicut ipse Deus à se est & non ab alio, ita sibi sufficit & non indiget alio, ut sit, & ut compleatur, ac proinde ex se habet totam perfectionem sibi debitam, à quo enim superiori illam haberet? cum ipse sit supremum omnium ens: ergo habet illam independentem ab omni alio: ergo à nullo potest tota sibi debita perfectio priuari; non ab alio distincto à se, quia sicut ab alio non habet nec dependet in esse, ita neque in conseruari in ipso esse, ac proinde à nullo alio priuari potest, præcipue quia sicut Deus ex eo quod sit à se est supra omne aliud à se distinctum, ita à nullo alio potest

potest priuari perfectione sibi debita, quia si priuaretur ab alio aliqua sibi debita perfectione in statu violento ab illo poneretur, ac per consequens violentiam, & vim peteretur ab alio; vnde Deus esset inferior in viribus, & potentia illo, à quo talem vim, & violentiam pateretur, solum enim inferius, & debilius potest pati violentiam, & vim à superiori; vnde Gigas potest inferre vim homini paruo, & vir infanti. Angelus homini, & non è contra propter superioritatem vnius & debilitatem, seu inferioritatem alterius.

21 Atqui Deus est superior omni ente nullique inferior: ergo à nullo alio à se distincto potest pati violentiam, & vim: ergo à nullo alio distincto à se potest priuari debita sibi perfectione.

22 Nec vero potest se ipsum illa priuare, tum quia res omnis naturaliter appetit, & retinet perfectionem sibi debitam, quia nemo intendens in malum operatur praecipue in proprium, quale esset priuare se perfectione sibi debita; tum maxime, quia Deus non habet huiusmodi perfectionem à se causariue, seu effectus, sed potius formaliter, hoc est ex formali eminentia, seu excellentia propriae naturae; aut negatiue, quia scilicet non habet ab alio: ergo sicut non potest priuari esse ab alio, quia non dependet ab illo, ita etiam non potest à se ipso priuari, quia à se ipso non dependet in tali perfectione: atque hinc maxime confirmatur haec veritas, quia omnis perfectio debita alicui debet esse non impossibilis, sed potius possibilis illi, quia quod alicui repugnat, non debetur illi: atqui per vos deficit actu illi: ergo talis perfectio non est simpliciter necessaria, sed potius contingens, & corruptibilis. Pater euidenter hoc, quia illud est contingens, & corruptibile quod potest esse, vel non esse: sed illa perfectio quatenus possibilis Deo potest esse, & quatenus actu deficit potest non esse, quia quod actu non est potest non esse; ab actu enim ad potentiam bene valet consequentia secundum euidens axioma Dialecticorum, v.g. curro: ergo possum currere: ergo potest esse, & non esse illa perfectio, & sic erit contingens, & corruptibilis, & non simpliciter necessaria, ac proinde non diuina, quia omne diuinum est simpliciter necessarium, & incorruptibile, sicut existentia ipsius: ergo etiam si deficiat illi talis perfectio nulla deficit illi debita perfectio: ergo sine illa erit Deus numeris omnibus absolutus, & sic omnino perfectus.

23 Secundo principaliter probatur, & vrgetur, quia Deus est primum, & summum ens, ac proinde est summa causa omnium rerum, & sic summum, & infinitum agens: ergo summus, & infinitus actus: consequentia est euidens, quia quando aliquod oppositum est in summo gradu suae perfectionis, nihil alterius oppositi potest secum compati v.g. quia Angelus est summe spiritualis, nihil materialitatis in se patitur: sed omnem à se remouet; item quando subiectum est calidum vt octo, quia est in summo gradu caloris nihil admittit, seu habet in se frigiditatem; quapropter statim ac introducit primum gradus frigiditatis in subiecto definit octauus gradus caloris, ac proinde definit esse summe calidum subiectum.

24 Sed Deus est summe actualis, & summus actus: ergo nihil patitur secum neque admittit potentialitatem: ergo nullo modo est in potentia ad aliquam perfectionem sibi debitam, sed potius est in actu omnis perfectionis sibi debita: ergo nulla caret

perfectione sibi debita. Haec consequentia est manifestata, quia actus, & potentia dicunt oppositionem, sicut esse in actu, & esse in potentia: sed Deus est summus actus: ergo Deus nihil potentialitatis habet.

Quod autem ex eo quod Deus sit summum 25 agens sit summus actus sic demonstratur, quia nihil agit nisi quatenus est in actu, quia actio consequitur, vt optime docet Diuus Thomas, modum actus in agente, quia sicut materia prima in quantum huiusmodi est in potentia, ita agens in quantum huiusmodi est in actu; impossibile enim est effectum, qui per actionem producit esse in nobiliori actu, quam sit actus agentis, possibile est tamen actum effectus imperfectiorem esse, quam actus causae agentis, eo quod actio potest debilitari ex parte eius in quod terminatur; vnde agens omnium actuum debet habere omnem rationem actus perfectiori modo, ac datur in actibus actus, & productis ab illo, quia quidquid datur in effectum alterius rationis, ac est causa, quia causa est aequiuoca, continetur perfectiori modo in ea usque sed Deus est causa agens omnium effectuum seu actuum: ergo continet perfectiori modo in se omnem rationem actus: ergo est summus actus, & per consequens nihil potentialitatis habet: ergo maxime est perfectus, quia vt ait Diuus Thomas: [secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundum quod est actu; nam perfectum dicitur, cui nihil deest, secundum modum suae perfectionis.] Nam si aliquid suae perfectionis defuit illi, euidenter sequitur esse in potentia, & non in actu respectu illius perfectionis, quia quod non habet aliquid, & potest habere illud, est in potentia ad ipsum, & non in actu eiusdem, & sic non est in summo actu illius: sed Deus quatenus est summum, & primum agens, & summum, ac primum principium actuum oportet maxime esse in actu, & summus actus, quia in tantum agit res, quatenus est actus; sicut è contra in tantum patitur res, vel recipit in quantum est potentia; cum autem Deus non solum sit quomodocunque agens, sed potius primum agens à se, debet esse omniagens, ac proinde summum, & maximum agens: ergo est summus, & maximus actus: ergo summus, & maxime perfectus, nam sicut imperfectum est, quod est in potentia ad actum, & cum priuatione actus, ita quod nullo modo est in potentia, sed est actus purus, oportet perfectissimum esse, tale autem est Deus: igitur est perfectissimus.

Vrgetur ex Diuo Thoma lib. 1. contra Gentes, 26 cap. 28. ibi: omnis enim nobilitas cuiuscunque rei, est sibi secundum suum esse, nulla enim nobilitas esset homini ex sua sapientia, nisi per eam sapiens esset, & sic de aliis; sic ergo secundum modum quo res habet esse, est suus modus in nobilitate, nam res secundum quod suum esse contrahitur ad aliquem specialem modum nobilitatis maiorem, vel minorem, dicitur esse secundum hoc nobilior vel minus nobilis: igitur si aliquid est cui competit tota virtus essendi, ei nulla virtus nobilitatis deesse potest. quae alicui rei continetur sed rei, quae est suum esse, competit esse secundum totam essendi potestatem, sicut si esset aliqua albedo separata, nihil ei de virtute albedinis deesse posset, nam alicui albo aliquid de virtute albedinis deesse potest, ex defectu recipientis albedinem, qui eam secundum modum suum recipit, & fortasse non secundum totum posse albedinis; deus igitur qui est totum suum esse, vt supra probatum

batum est, habet esse secundum totam virtutem, ipsius esse; non potest ergo carere aliqua nobilitate, quæ alicui rei non conueniat, sicut autem omnis nobilitas, & perfectio inest rei, secundum quod est, ita omnis defectus inest ei, secundum quod aliquid non est. Deus autem sicut habet esse totaliter, ita ab eo totaliter absistit non esse, quia per modum per quem habet aliquid esse, deficit à non esse à deo: ergo omnis defectus absistit, est igitur vniuersaliter perfectus, ista vero, quæ tantum sunt, imperfecta sunt non propter imperfectionem ipsius esse absoluti, non enim ipsa habent esse, secundum totum suum posse, sed participant esse, per quandam particularem modum, & imperfectissimum.

27 Secundo probatur, quia illud est omnino perfectum positum quod includit omnem perfectionem possibilem: sed Deus est huiusmodi: ergo est omnino perfectus. Maior est certa, quia causa debet continere vel formaliter vel eminenter illam perfectionem cuius est causa, nemo enim dat quod non habet; minor patet, nam omne ens possibile, seu omnis possibilis perfectio extra Deum est ens ab alio, quia est creatura: sed omne ens ab alio necessario debet habere esse communicatum ab ente à se increato, & improducto: ergo qui est ens à se est causa ceterorum, & sic cetera omnia eminenter debet includere, & per consequens includit omnem perfectionem possibilem.

28 Confirmatur, quia deus non solum superat in perfectione omnia quæ sunt, & fuerunt: sed omnia quæ possunt esse: ergo necesse est, ut contineat omnem perfectionem possibilem ablati imperfectionibus; antecedens patet, si deus comparetur ad præterita, & præsentia, nam si inter præterita, vel præsentia daretur aliquid æqualis perfectionis cum deo, esset Deus, unde iam duo niji, & tunc destrueretur vnicitas dei, id est deus non esset vnicus, quod est falsum. si autem illud esset maioris perfectionis iam deus non esset deus; nam sicut nomine hominis intelligimus animal ratione; ita maiorem excogitare non possumus; quod autem Deus comparatus ad omnia entia possibilia etiam, excedat illa in perfectione, sic cōiungitur; si inter possibilia entia esset aliquod ens perfectius Deo, vel illud esset ens necessarium, & sic esset iam actus; nam in necessariis & æternis idem est posse, ac esse unde non esset purum possibile; vel esset contingens quia scilicet posset fieri, vel non fieri ab alio & hoc esset impossibile, quia perfectius non potest produci ab inferiori, nisi quatenus instrumentum alicuius habentis æqualem, vel maiorem perfectionem, quam effectus: si igitur illud ens possibile esset perfectius Deo, à quo deberet produci? non à deo tanquam ab instrumento, quia deus non est alicuius instrumentum, cum sit primum ens à se independens omnino: ergo illud quod fingitur perfectius deo, non potest produci: ergo non est possibile vllō modo ens perfectius deo: ergo primum ens est perfectissimum omnium possibilem. Consequentia patet, quia dato quocunque ente; quod excedat cetera in perfectione, non tamen contineat perfectiones omnium, illud non potest esse perfectius omni ente possibili, quia potest esse aliud, quod non solum sit perfectius, sed etiam contineat reliqua, neque enim dici potest hanc continentiam inuoluerē repugnantiam, aut esse impossibilem, tum quia in rebus materia-

libus experimur qualitatem, vel formam superiorem continere perfectiones plurium inferiorum, ac proinde posse exercere effectus earum ut videre est in sensu communi, qui attingit obiecta omnium sensuum inferiorum, quia continet perfectiones omnium illorum, tum etiam, quia nulla ratio repugnantiae, aut impossibilitatis assignari potest.

29 Ut ergo primum ens sit perfectius omni possibili, necesse est ut omnem perfectionem possibilem in se claudat, quia non quomodocunque est perfectum, sed ut mensura ceterorum omnium, quæ quia accedunt, aut recedunt magis ab illo, maiorem vel minorem perfectionem habent, quia omnem, quam habent, participant ab ipso, & sic ipsum debet continere eminentiori modo perfectiones omnium eorum, & alias præter ipsas formaliter, & sic erit absolute, & simpliciter perfectissimum, quod his aureis verbis docuit Dñs Thomas lib. 1. contra Gen. cap. 18. argum. 4. ibi: [Item vnoquoque genere ad quod omnia quæ sunt illius generis mensurantur, quia ex eo vnumquodque ostenditur magis, & minus esse perfectum, quod ad mensuram sui generis magis & minus appropinquat, sicut album dicitur esse mensura in omnibus coloribus, & virtuosus inter omnes homines. Id autem quod est mensura omnium entium, non potest esse aliud, quam Deus, qui est suum esse ipsi, igitur nulla deest perfectio, quæ aliquibus rebus conueniat, alias non esset omnium communis mensura. Hinc est, quod quum quæreret Moyses diuinam videre faciem, seu gloriam, responsum est ei à Domino. Ego ostendam tibi omne bonum, ut habetur Exodi. 33. per hoc datur intelligere in se omnis bonitatis plenitudinem esse. Dionysius etiam in 5. cap. de diuinis nominibus, dicit, Deis non quodammodo est existens, sed simpliciter, & incircumscriptiue totum esse in seipso accipit, & præaccipit. Sciendum tamen quod perfectio deo conuenienter attribui non potest; si nominis significatio quantum ad sui originem attendatur, quod enim factum non est, nec perfectum dici posse videtur: sed quia omne quod fit de potentia deductum est in actum, & de non esse in esse, quando factum est, tunc recte perfectum esse dicitur, quasi totaliter factum, quando potentia totaliter est ad actum reducta, ut nihil de non esse retineat: sed habet esse completum, per quandam autem nominis extensionem, perfectum dicitur non solum, quod fiendo peruenit ad actum completum, sed id etiam quod est in actu completo, absque omni factione, & sic deum perfectum esse dicimus, secundum illud, Math. 5. Estote perfecti sicut & pater vester cælestis perfectus est.]

Itaque ut primum ens absolute, ac simpliciter sit perfectissima mensura, debet continere in se omnem perfectionem possibilem, quia excedit in perfectione omnia entia simpliciter, & absolute.

Dices, licet deus excedat in perfectione omnes creaturas non tamen inde sequi includere omnem plenitudinem perfectionis illarum, nam supremum omnium Seraphin excedit in perfectione ceteros Spiritus, homines, & omnia animalia, & nihilominus non continet in se perfectiones omnium illorum.

30 Sed contra, quia supremum Seraphin non est perfectius ceteris spiritibus, & animantibus tanquam fons, origo, & principium, ex cuius plenitudine

tudine accipiunt cetera, tanquam à causa efficien-
te suas perfectiones; si enim hoc modo esset illis
perfectius, sine dubio deberet includere omnes il-
lorum perfectiones, quia cum causa efficiens det
illas perfectiones effectibus, & nemo det quod nō
habet, necessario debet continere illas: quod enim
causa efficiens nullo modo habet, quomodo po-
terit communicare effectui? deus autem est per-
fectior omni ente extra se tanquam primum ens,
quod est principium, & causa efficiens cuiuscun-
que entis extra se, ex cuius fontali plenitudine,
vt ait diuus Thomas (alludendo ad diuum Iaco-
bum, & Paulum) omnes accepimus quidquid ha-
bemus: ergo deus debet continere in se omnem
perfectionem possibilem; nam si aliqua perfectio
esset possibilis, & illi deesset perfectus esset illud
ens, quod illam perfectionem simul cum omnibus
aliis haberet; vnde deus non esset melius, quam
cogitari potest, quod vt supra late probauimus
falsum est, & ideo Gregorius Nyss, lib. de opif.
hom. cap. 1. ait: [deum esse tale bonum, quod
omne bonum, quod intelligendo, cogitandove
comprehenditur, exuperat] cogitando scilicet tali
cogitatione, quæ in se cogitata non inuoluit re-
pugnantiam, sed sit de re vere possibili; etenim,
si cogitatio non sit huiusmodi res cogitata non
erit maior; imo nec res erit, sed ens rationis, &
propterea nihil, si autem aliquid maius vere cogite-
tur, illud erit ens possibile: ergo erit necessarium,
quia hæc est prima, & summa perfectio entis per-
fectissimi: ergo illud ens erit deus: & non aliud.
quod cogitabatur minus perfectum: est ergo de
ratione dei, vt sit ens tam perfectum quo maius
excogitari non possit, & consequenter vt in se
includat omnem perfectionem possibilem; tota
enim hæc perfectio vere, ac rationabiliter cogita-
tur in aliquo vero ente.

32 Dices hac ratione probari Deum continere om-
nes perfectiones formaliter, quia tota hæc per-
fectio cogitari potest in aliquo ente, & hic modus
excedendi reliqua est perfectior.

33 Sed contra respondeo cum Patre Suarez, ne-
gando sequelam, quia non omnes illæ perfectio-
nes formaliter sumptæ, spectant ad consumma-
tam entis perfectionem, neque omnes inter se co-
possibiles sunt, neque cum exacta, ac summa rei
perfectione; vnde ad hoc declarandum recte di-
stinguunt Theologi duplices entis perfectiones,
quasdam vocant simpliciter simplices: alias vero
perfectiones secundum quid, seu non simpliciter.
Prioris generis sunt quæ neque inuolunt imper-
fectionem ullam, nec repugnantiam, vel opposi-
tionem cum alia maiori vel æquali perfectione.
Vnde ratione perfectionis simpliciter in primis
est, vt sit absoluta non relatiua; nam perfectio
relatiua excludit aliam sibi oppositam, quæ quan-
tum est ex se potest esse æque perfecta. Deinde
esse debet talis perfectio absoluta, quæ nullam in-
cludat imperfectionem, neque alteri meliori op-
ponatur; vnde ex Anselmo in Monolog. cap. 14.
definitur soler perfectio simpliciter, quod si illa,
quæ vnoquoque est melior ipsa, quam non ipsa,
id est quæ in indiuiduo entis, seu in latitudine
entis vt sic melior est ipsa, quam qualibet illi
repugnans, vt bene exposuit Scotus in 1. d. 8. q. 1.
ad 1. & Caietan. de ente, & essentia, cap. 2. Omnis
autem alia perfectio, quæ non est huiusmodi, dici
potest secundum quid, seu simpliciter, seu in certo
genere.

34 De perfectionibus ergo simpliciter dicendum
est omnes esse in deo formaliter, quia in suo for-

malis conceptu nullam imperfectionem, sed pu-
ram perfectionem inuolunt, neque inter se re-
pugnantiam includunt; vnde sic illas habere,
id est, formaliter, melius est quam aliquam earum
carere, & ideo de ratione entis summe perfecti in
tota latitudine entis est, vt has omnes perfectio-
nes formaliter includat. Adde, in his perfectio-
nibus non posse cogitari altiorum modum conti-
nendi illas, quam formaliter, quia intra suam for-
malem rationem, nec limitationem, nec imperfe-
ctionem includunt, neque altior gradus entis ex-
cogitari potest, quam ille, ad quem hæc formales
perfectiones pertinent, quales sunt viuere, scire,
& alia huiusmodi: at vero de perfectionibus
secundum quid seu in certo genere dicendum est
non pertinere ad consummatam perfectionem pri-
mi entis, vt illas formaliter includat, vt recte pro-
bat obiectio facta, quia alias repugnantia, & op-
posita includeret. Item saepe huiusmodi perfectio
in suo conceptu formali includit limitationem,
compositionem, aut aliam similem imperfectionem:
ergo vt sic non potest pertinere ad consum-
matam perfectionem supremi entis. Pertinet ergo
ad perfectionem illius entis vt has omnes perfe-
ctiones eminenter contineat: estque hic mo-
dus consentaneus excellentie illius entis, quod
habet gradum, & modum essendi eminentiorem,
quam omne ens, in quo hæc perfectiones formaliter
reperiuntur, & ideo eminentiori modo conti-
nere debet has perfectiones, quam sint in entibus
factis; vnde diuus Thomas ex eo quod Deus sit
causa omnium colligit, prima parte, quaest. 2. art. 3.
in corpore, Deum esse perfectissimum, & maxi-
mum, & habere omnium rerum perfectiones, de
quarum fonte magis, & minus participare asserit
creaturas, quo magis, & minus accedunt ad deum;
verba diui Thomæ hæc sunt: inuenitur enim in
rebus aliquid magis, & minus bonum, & verum,
& nobile: & sic de aliis huiusmodi: sed magis,
& minus dicuntur de diuersis secundum quod ap-
propinquant diuersimode ad aliquid, quod maxi-
me est: sicut magis calidum est quod magis ap-
propinquit maxime calido; est igitur aliquid, quod
est verissimum & optimum, & nobilissimum, &
per consequens maxime est; nam quæ sunt maxime
vera sunt maxime entia, vt dicitur secundo Me-
taph. Quod autem dicitur maxime tale in ali-
quo genere est causa omnium, quæ sunt illius ge-
neris: sicut ignis, qui est maxime calidus, est cau-
sa omnium calidorum, vt in eodem libro dicitur.
Ergo est aliquid quod omnibus entibus est causa
esse, & bonitatis, & cuiuslibet perfectionis, & hoc
dicimus deum.]

Tandem, quia omnis perfectio solū est aut creata, 35
increata; aut si increata, in ente increato debet esse,
qui Deum vocatur; si vero est creata: ergo neces-
sario esse debet ab ente increato vt à prima cau-
sa, quia nihil potest esse præter Deum, quod non
sit ab ipso: ergo necesse est vt omnis perfectio sit
in deo eminentiori & excellentiori modo, quam
sit in effectu, quia perfectio effectus necessario
continetur in causa, quæ ex se, & propria, ac suf-
ficiente virtute potest talem perfectionem commu-
nicare effectui, alias aliquid daret, quod non con-
tineret.